

## Testi per il primo periodo

- [La favola dell'allodola in Gellio](#)
- [Catone, esordio della Pro Rhodiensibus](#)
- [Testi catoniani vari](#)
- [Il giudizio di Cicerone su Catone](#)
- [Gaio Gracco e Catone narratori](#)
- [Sempronio Asellione critica gli \*Annales\*](#)

### La favola dell'allodola in Aulo Gellio (*Noctes Atticae II, 29 ss.*) . Dalle *Saturae* di Ennio

Auicūla -inquit- est parua, nomen est cassīta. Habitat nidulaturque in segetibus id ferme temporis, ut appētāt messis pullis iam iam plumantibus. Ea cassīta in sementes forte congresserat tempestiuiores; propterēa frumentis flauescētibz pulli etiam tunc inuolucres erant. Dum igitur ipsa iret cibum pullis quaesitum, monet eos, ut, si quid ibi rei nouae fieret diceretur, animaduerterent idque uti sibi, ubi redisset, nuntiarent. Dominus postea segētum illarum filium adulescentem uocat et

- *"uidesne"* inquit *"haec ematuruisse et manus iam postulare? idcirco die crastini, ubi primum diluculabit, fac amicos eas et roges, ueniant operamque mutuam dent et messim hanc nobis adiuuent."*

Haec ubi ille dixit, et discessit. Atque ubi redit cassita, pulli tremibundi, trepiduli circumstrepere orareque matrem, ut iam statim properet inque alium locum sese asportet:

- *"nam dominus"* inquiunt *"misit, qui amicos roget, uti luce oriente ueniant et metant"*.

Mater iubet eos otioso animo esse:

- *"si enim dominus"* inquit *"messim ad amicos reicit, crastino seges non metetur neque necessum est, hodie uti uos auferam."*

Die postero mater in pabulum uolat. Dominus, quos rogauerat, opperitur. Sol feruit, et fit nihil; it dies, et amici nulli eunt. Tum ille rursum ad filium:

- *"amici isti magnam partem"* inquit *"cessatores sunt. Quin potius imus et cognatos adfinesque nostros oramus, ut assint cras temperi ad metendum?"*

Itidem hoc pulli pauefacti matri nuntiant. Mater hortatur, ut tum quoque sine metu ac sine cura sint; cognatos adfinesque nullos ferme tam esse obsequibiles ait, ut ad laborem capessendum nihil cunctentur et statim dicto oboediant:

- *"vos modo"* inquit *"aduertite, si modo quid denuo dicitur"*.

Alia luce orta auis in pastum profecta est. Cognati et adfines operam, quam dare rogati sunt, supersederunt. Ad postremum igitur dominus filio:

- *"ualeant"* inquit *"amici cum propinquis. Afferes primo luci falces duas; unam egomet mihi et tu tibi capies alteram, et frumentum nosmetipsi manibus nostris cras metemus"*.

Id ubi ex pullis dixisse dominum mater audiuit:

- *"tempus"* inquit *"est cedendi et abeundi; fiet nunc dubio procul, quod futurum dixit. In ipso enim iam uertitur, cuius res est, non in alio, unde petitur"*.

Atque ita cassita nidum migravit, seges a domino demessa est.'

Haec quidem est Aesopi fabula de amicorum et propinquorum leui plerumque et inani fiducia. [...] Hunc Aesopi apologum Q. Ennius in satiris scite admodum et uenuste uersibus quadratis composuit. Quorum duo postremi isti sunt, quos habere cordi et memoriae operae pretium esse hercle puto:

*Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm:  
ne quid expectes amicos, quod tute agere possies.*

## Catone

**M. P. Cato**, *Pro Rhodiensibus* (esordio) ←

Scio solere plerisque hominibus rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere atque superbiam atque ferociam augescere atque crescere. Quo mihi nunc magnae curae est, quod haec res tam secunde processit, ne quid in consulendo advorsi eveniat, quod nostras secundas res confutet, neve haec laetitia nimis luxuriose eveniat. Advorsae res edömant et döcent, quid opus siet facto, secundae res laetitia transvorsum trudere solent a recte consulendo atque intellegendo. Quo maiore opere dico suadeoque, uti haec res aliquot dies proferatur, dum ex tanto gaudio in potestatem nostram redeamus.

Atque ego quidem arbitror Rodienses noluisse nos ita depugnare, uti depugnatum est, neque regem Persen vinci. Sed non Rodienses modo id noluere, sed multos populos atque multas nationes idem noluisse arbitror atque haut scio an partim eorum fuerint qui non nostrae contumeliae causa id noluërint evenire: sed enim id metuere, si nemo esset homo quem vereremur, quidquid luberet faceremus, ne sub solo imperio nostro in servitute nostra essent. Libertatis suae causa in ea sententia fuisse arbitror.

Atque Rodienses tamen Persen publice numquam adiuvere. Cogitate, quanto nos inter nos privatim cautius facimus. Nam unusquisque nostrum, si quis advorsus rem suam quid fieri arbitrantur, summa vi contra nititur, ne advorsus eam fiat; quod illi tamen perpassi. Ea nunc derepente tanta beneficia ultro citroque, tantam amicitiam relinquemus? Quod illos dicimus voluisse facere, id nos priores facere occupabimus? Qui acerrime advorsus eos dicit, ita dicit: hostes voluisse fieri. Ecquis est tandem, qui vestrorum, quod ad sese attineat, aequum censeat poenas dare ob eam rem, quod arguatur male facere voluisse? Nemo, opinor; nam ego, quod ad me attinet, nolim.

**M. P. Cato**, *De medicina*, 1,1 ss. Dicam de istis Graecis suo loco, Marce fili, quid Athenis exquisitum habeam, et quod bonum sit illorum litteras inspicere, non perdiscere. Vincam nequissimum et indocile esse genus illorum. Et hoc puta uatem dixisse, quandoque ista gens suas litteras dabit, omnia conrumpet, tum etiam magis, si medicos suos huc mittet. Iurarunt inter se barbaros necare omnis medicina, sed hoc ipsum mercede facient, ut fides iis sit et facile disperdant. Nos quoque dictitant barbaros et spurcius nos quam alios Opicon appellatione foedant. Interdixi tibi de medicis. ←

**M.P.Cato** *De agri cultura*, pr. 1 ss. Maiores nostri sic habuerunt et ita in legibus posiverunt: furem dupli condemnari, f[o]eneratorum quadrupli. Quanto peiorem civem existimarint f[o]eneratorum quam furem, hinc licet existimare. Et virum bonum quom laudabant, ita laudabant: bonum agricolam bonumque colonum; amplissime laudari existimabatur qui ita laudabatur. Mercatorem autem strenuum studiosumque rei quaerendae existimo, verum, ut supra dixi, periculosum et calamitosum. At ex agricolis et viri fortissimi et

milites strenuissimi gignuntur, maximeque pius quaestus stabilissimusque consequitur minimeque invidiosus, minimeque male cogitantes sunt qui in eo studio occupati sunt.

**M. P. Cato**, *De agri cultura*, II *Patris familiae officia*

Pater familias, ubi ad uillam uenit, ubi larem familiarem salutauit, fundum eodem die, si potest, circumeat; si non eodem die, at postridie. Ubi cognouit, quo modo fundus cultus siet, opera quaeque facta infectaque sient, postridie eius diei uilicum uocet, roget quid operis siet factum, quid restet, satisne temperi opera sient confecta, possitne quae reliqua sient conficere, et quid factum uini, frumenti aliarumque rerum omnium. Ubi ea cognouit, rationem inire oportet operarum, dierum. si ei opus non apparet, dicit uilicus sedulo se fecisse, seruos non ualuisse, tempestates malas fuisse, seruos aufugisse, opus publicum effecisse. Ubi eas aliasque causas multas dixit, ad rationem operum operarumque uilicum reuoca.

## Il giudizio di Cicerone su Catone nel *Brutus* ←

[65] Catonem uero quis nostrorum oratorum, qui quidem nunc sunt, legit? aut quis nouit omnino? at quem uirum, di boni! mitto ciuem aut senatorem aut imperatorem: oratorem enim hoc loco quaerimus: quis illo grauior in laudando, acerbior in uituperando, in sententiis argutior, in docendo edisserendoque subtilior? refertae sunt orationes amplius centum quinquaginta, quas quidem adhuc inuenerim et legerim, et uerbis et rebus inlustribus. licet ex his eligant ea quae notatione et laude digna sint: omnes oratoriae uirtutes in eis reperientur.

[66] Iam uero Origines eius quem florem aut quod lumen eloquentiae non habent? amatores huic desunt, sicuti multis iam ante saeculis et Philisto Syracusio et ipsi Thucydidi. nam ut horum concisis sententiis, interdum etiam non satis apertis [autem] cum breuitate tum nimio acumine, officit Theopompus elatione atque altitudine orationis suae—quod idem Lysiae Demosthenes —, sic Catonis luminibus obstruxit haec posteriorum quasi exaggerata altius oratio. [67] Sed ea in nostris inscitia est, quod hi ipsi, qui in Graecis antiquitate delectantur eaque subtilitate, quam Atticam appellant, hanc in Catone ne noverunt quidem. Hyperidae uolunt esse et Lysiae. laudo: sed cur nolunt Catones?

[68] Attico genere dicendi se gaudere dicunt. sapienter id quidem; atque utinam imitentur nec ossa solum, sed etiam sanguinem! gratum est tamen, quod uolunt. cur igitur Lysias et Hyperides amatur, cum penitus ignoretur Cato? antiquior est huius sermo et quaedam horridiora uerba. ita enim tum loquebantur. id muta, quod tum ille non potuit, et adde numeros et, <ut> aptior sit oratio, ipsa uerba compone et quasi coagmenta, quod ne Graeci quidem ueteres facitauerunt: iam neminem antepones Catoni. [69] Ornari orationem Graeci putant, si uerborum immutationibus utantur, quos appellant *tropous*, et sententiarum orationisque formis, quae uocant *schemata*: non ueri simile est quam sit in utroque genere et creber et distinctus Cato. nec uero ignoro nondum esse satis politum hunc oratorem et quaerendum esse aliquid perfectius; quippe cum ita sit ad nostrorum temporum rationem uetus, ut nullius scriptum exstet dignum quidem lectione, quod sit antiquius. sed maiore honore in omnibus artibus quam in hac una arte dicendi uersatur antiquitas.

[70] Quis enim eorum qui haec minora animadvertunt non intellegit Canachi signa rigidiora esse quam ut imitentur ueritatem? Calamidis dura illa quidem, sed tamen molliora quam Canachi; nondum Myronis satis ad ueritatem adducta, iam tamen quae non dubites pulchra dicere; pulchriora Polycliti et iam plane perfecta, ut mihi quidem uideri solent. similis in pictura ratio est: in qua Zeuxim et Polygnotum et Timanthen et eorum, qui non sunt usi plus quam quattuor coloribus, formas et liniamenta laudamus; at in Aetione Nicomacho Protogene Apelle iam perfecta sunt omnia. [71] Et nescio an reliquis in rebus omnibus idem eveniat: nihil est enim simul et inuentum et perfectum; nec dubitari debet quin fuerint ante Homerum poetae, quod ex eis carminibus intellegi potest, quae apud illum et in Phaeacum et in

procorum epulis canuntur. quid, nostri veteres versus ubi sunt?

*quos olim Fauni vatesque canebant,  
cum neque Musarum scopulos  
nec dicti studiosus quisquam erat ante hunc*

ait ipse de se nec mentitur in gloriando: sic enim sese res habet. nam et Odyssia Latina est sic [in] tamquam opus aliquod Daedali et Livianae fabulae non satis dignae quae iterum legantur.

## **Gaio Gracco e Catone narratori : fra dramma, moralismo (e paratassi).** ←

**C. Gracchus, fr.48, 1 ss** Nuper Teanum Sidicinum consul venit. Uxor eius dixit se in balneis virilibus lavari velle. Quaestori Sidicino M. Mario datum est negotium uti balneis exigerentur qui lavabantur. Uxor renuntiat viro parum cito sibi balneas traditas esse et parum lautas fuisse. Idcirco palus destitutus est in foro eoque adductus suae civitatis nobilissimus homo M. Marius. Vestimenta detracta sunt, virgis caesus est. Caleni, ubi id audierunt, edixerunt ne quis in balneis lavasse vellet cum magistratus Romanus ibi esset. Ferentini ob eandem causam praetor noster quaestores abripi iussit: alter se de muro deiecit, alter prensus et virgis caesus est. Quanta libido quantaque intemperantia sit hominum adulescentium, unum exemplum vobis ostendam. His annis paucis ex Asia missus est, qui per id tempus magistratum non ceperat, homo adulescens pro legato. Is in lectica ferebatur. Ei obviam bubulcus de plebe Venusina advenit et per iocum, cum ignoraret qui ferretur, rogavit num mortuum ferrent. Ubi id audivit, lecticam iussit deponi, struppis, quibus lectica deligata erat, usque adeo verberari iussit, dum animam efflavit. Ea luxurii causa aiunt institui. Non est ea luxuries, quae necessario parentur vitae causa. Quod unum nobis in ostentum, ipsis in usum adportatur.

### **Catone Origines**

Thesunt Tauriani uocantur de fluuio, qui propter fluit. id oppidum Aurunci primo possederunt, inde Achaei Troia domum redeuntes. in eorum agro fluuii sunt sex; septimus finem Rheginum atque Taurinum dispescit: fluuii nomen est Pecoli. eo Orestem cum Iphigenia atque Pylade dicunt maternam necem expiatum uenisse, et non longinqua memoria est, cum in arbore ensem uiderint, quem Orestes abiens reliquisse dicitur. Deinde duouicesimo anno post dimissum bellum, quod quattuor et uiginti annos fuit, Carthaginenses sextum de foedere decessere. Igitur dictatorem Carthaginensium magister equitum monuit: 'Mitte mecum Romam equitatum: diequinti in Capitolio tibi cena cocta erit'. Deinde dictator iubet postridie magistrum equitum arcessi: 'Mittam te, si uis, cum equitibus'. 'sero est', inquit magister equitum, 'iam rescuere'.

### **Parva laus pro factis**

Dii immortales tribuno militum fortunam ex uirtute eius dedere. nam ita euenit: cum saucius multifariam ibi factus esset, tamen uulnus capiti nullum euenit, eumque inter mortuos defetigatum uulneribus atque quod sanguen eius defluserat, cognouere. eum sustulere, isque conualuit saepeque postilla operam rei publicae fortem atque strenuam perhibuit illoque facto, quod illos milites subduxit, exercitum ceterum seruauit. sed idem benefactum, quo in loco ponas, nimium interest. Leonides Laco quidem simile apud Thermopylas fecit, propter eius uirtutes omnis Graecia gloriam atque gratiam praecipuam

claritudinis inclitissimae decorauerunt monumentis: signis, statuis, elogiis, historiis aliisque rebus gratissimum id eius factum habuere; at tribuno militum parua laus pro factis relicta, qui idem fecerat atque rem seruauerat.

**Sempronio Asellione critica il modo di narrare tipico degli *annales*** ←

Verum inter eos, . . . qui annales relinquere uoluissent, et eos, qui res gestas a Romanis perscribere conati essent, hoc interfuit: annales libri tantummodo quod factum quoque anno gestum sit, ea demonstrabant, id est quasi qui diarium scribunt, quam Graeci ἐφημερίδα da uocant. Nobis non modo satis esse uideo, quod factum esset, id pronuntiare, sed etiam, quo consilio quaque ratione gesta essent, demonstrare.

Nam neque alacriores ad rem publicam defendendam neque segniore ad rem perperam faciendam annales libri commouere quosquam possunt. Scribere autem, bellum initum quo consule et quo confectum sit, et quis triumphans introierit ex eo bello, quaeque in bello gesta sint, iterare, id fabulas pueris est narrare, non historias scribere.